

nem; quòd si hoc fit, ait Auerf se habere in-
tentum, quia per partes coniunctas nihil aliud
intelligit quàm vnionem, & coniunctionem
partium.

Respon.

Respondeo neutro modo habere suum
intentum: non primo, quia partes vnitæ habent
supra separatas intimam penetrationem, &
informationem: non secundo: Imò potiùs est
Confirmatio nostræ opinionis; nihil enim aliud
dicimus, quàm quod partes, dum coniungun-
tur, acquirant vnionem, seu potiùs coniunctio-
nem intimam, quæ tamen non est aliqua realitas
superueniens realitati partium, nisi realitas
quædam respectiua, vel extrinsecus respectus.

Obj. ostend.

Objicies ostend. Nisi per vnionem partium
acquiretur noua quædam realitas absoluta,
possibilis foret naturaliter reuio animæ cum
corpore; id enim posset Angelus facere, nam
Angelus posset ponere materiam iuxta animam,
& animam iuxta corpus; proindeque tunc ani-
ma expelleret formam quam habet materia, &
maneret vnita cum proprio corpore.

Resp.

Respondeo idèò animam non posse natu-
raliter se reunire corpori, quantumvis dispo-
sito, quia cum vnio sit causa totius compositi, &
tertia entitatis, quam importat compositum su-
pra partes vnitas, anima autem cum sit tantum-
modò pars illius tertie entitatis, seu realitatis,
non poterit eam causare. Alij tamen dicunt
quòd in resurrectione, humana anima poterit
se vnire corpori organizato, & disposito; po-
terit, inquam, virtute propria de qua re agunt
Theologi in quarto sententiarum circa distinctio-
nem quadragesimam tertiam.

Possent & aliæ proponi obiectiones, qui-
bus Theologi in tertio sententiarum & tertia par-
te probare solent humanitatem Christi, dum
fuit vnita Verbo, acquisiuisse aliquem modum
absolutum. Sed quia maxima controuersia est
inter Theologos præsertim Thomistas, & Scoti-
stas, aliquibus Thomistis affirmantibus nullum
modum acquisiuisse siue absolutum siue respec-
tiuum: Alijs verò Thomistis & magis ordina-
riè asserentibus modum quandam absolutum
aduuenisse humanitati: Scotistis verò dicenti-
bus aduenisse tantum de nouo relationem ex-
trinsecus aduenientem, nempe sustentati ad sus-
tentans: idcirco dictæ obiectiones meliùs in
Theologia examinantur.

Num. 7.
Per vnionem
forma cum
materia ad-
uenit partibus
relatio
extrinsecus
aduueniens.
Probatur
primò.

Resolutio secunda: Per vnionem formæ cum
materia aduenit partibus relatio extrinsecus ad-
ueniens: ita Scotistæ præsertim in tertio sententia-
rum distinct. prima, vbi probant quòd ex parte
humanitatis coniunctæ Verbo adueniat relatio
realis, actualis dependentiæ ad verbum tanquam
ad suppositum ipsiùs, sustentans, ac suppositans:
Resolutionis intelligentia pendet ex alijs
dictis de huiusmodi relationibus extrinsecus ad-
uenientibus, tum in Logica, tum in fine Metap:
probari verò sic potest ad propositum: Aliquid
productum est per actionem vnitiuam imme-
diatè, non est autem aliquid productum abso-
lutum, vt vidimus partitione superiori ergo ali-
quid relatiuum; sed non est productum relati-
uum intrinsecus adueniens, tum quia ad relatio-
nem intrinsecus aduenientem non datur motus seu
productio ex Aristotele, tum quia relatio intrinse-

cus adueniens posito fundamento & termino statim
resultat; at posita materia & formà non statim
resultat ille respectus inter ipsas, sed vterius in-
digent ope alicuius agentis extrinseci, quòd vni-
antur inter sese, quòd agens est in finem fundamen-
ti huiusmodi relationum extrinsecus aduenien-
tium.

Secundò.

Ex quibus potest formari secunda ratio pro
resolutione, etiam secundum aduersarios: Inter
materiam & formam est aliqua relatio; sed non
est intrinsecus adueniens, vt patet ex iam dictis,
ergo est extrinsecus adueniens, & per conse-
quens per vnionem formæ cum materia fit ali-
qua mutatio, quia acquiritur de nouo ille res-
pectus, quem habebat forma separata à mate-
ria. De hac re plura dicentur in materia de in-
carnatione, dum inquiretur, quid acquisiuerit
humanitas, dum est supposita Verbo: interim
videatur Fauentinus disp. prima de incarnatione,
& de Rada controuersia tertia de incarnatione.

Tertiò.

Tertiò probari potest resolutio: quod ali-
ter se habet, ac priùs, acquirit aliquid, ergo
quando materia actu vnitur formæ, acquirit ali-
quid, quia aliter se habet ad ipsam quàm priùs:
non autem acquirit aliquid absolutum, nam forma
ex coniunctione sui cum materia nihil ac-
quirit absolutum, vt patet de se & ex dictis, ergo
acquirit respectum illum extrinsecus aduenien-
tem.

Quartò.

Quartò. Illud, quòd non potest intelligi,
etiam ex parte sui, non intelligendo aliud, est
quid respectiuum, sed vnio partis ad partem non
potest intelligi non intelligendo aliud ab ipsa
vnione, ergo non potest intelligi vnio formæ ad
materiam sine dicto respectu. Confirmatur il-
lud secundum quod aliquid refertur, vel dicitur
ad alterum; est respectus vel quid respectiuum:
sed talis est vnio, quia forma dicitur vnita non
ad se, sed ad alterum, nempe ad materiam, quòd
fit per vnionem; ergo vnio est respectus, non
quidem intrinsecus adueniens, quia non confur-
git statim posito fundamento & termino, item
fit ad eum propriè motus, ergo non est respectus
intrinsecus adueniens.

Obj. Ruyi.

Objicit tamen Ruyius primo Phys. tract. se-
cundo de forma questione 6. in initio: illa relatio
vnionis confurgens inter partes vnitas accidens
est, ergo si per solam relationem vniantur, non
vniantur substantialiter, sed solum accidentaliter,
per vnionem autem accidentalem non po-
test constitui vnium substantiale, sed vnium ac-
cidentalè tantum. Deinde sic vnio seu actio
vnienti haberet pro termino relationem.

Resp.

Respondeo concedendo illam relationem
esse accidens non tamen accidentalem: Vt au-
tem aliquid compositum sit accidentale requi-
ratur, vt vnio sit accidentalis; non enim vnio
habet quòd sit accidentalis, vel substantialis, ex
eo quòd ipsa sit accidens: vel substantialis, sed ex
eo quòd extrema vniantur accidentaliter, vel
substantialiter; Vnde vt rectè ait de Rada in si-
mili obiectione soluenda, vnio vestis cum ho-
mine accidentalis est, quia vestis non tribuit ho-
mini esse substantiale, sed accidentale, nempe
esse vestium, at vnio formæ substantialis cum
materia, est substantialis, quia vniantur ad con-
stituendam substantiam, scilicet compositum:
quare